



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 34. Reformationis articuli ad examinandum propositi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A.C. 1562

*Lit. Legat.
ad Borr.
16. Mart.*

diebus Legati Commendonum, qui nuper a longo suo per Germaniam, & Belgium itinere reversus erat, ad Imperatorem ablegare decreverant, ut illum de Synodi negotiis certiores redderet, ejusque mentem desuper exploraret: priusquam vero hoc consilium in opus deducerent, rem ad Cardinalem Borromæum perscribent, qui illis respondit, quod hæc legatio Cæsari minus probetur; cum non modo variis suspicionibus, sed etiam multis difficultatibus obnoxia evaderet, consultiusque esset, totius rei curam relinquere Delphino, qui apud Cæsarem tanquam Papæ Nuntius agebat.

§. XXXIV.

Reformationis articuli ad examinandum propositi.

*Acta Conc.
Trid.
Astulph. servant
M. S. Franc. Card.
sign. num.
1109. p. 34.*

Ad alterum caput, quo Cæsarei Oratores pro Germaniæ Clero disciplinæ leges statui petebant, hæc responderunt Legati: „Cum in Concilio præter oratores Cæsareos nullus earum Regionum Præsul, nullus Orator, aut Procurator adsit, haud videtur, quo pacto, aut agitari res possent cum plena rerum notitia, aut stabiliri cum certa Satisfactionis spe illorum, quorum interest: si vero Germaniæ Prælati advenerint, successu temporis etiam huic

huic malo remedium opponi poterit; aliunde autem ipsi emendationis articuli, quos Synodus statuere intendit, cunctis Nationibus tanquam Reformationis norma deservire poterunt. Enimvero Seripandus Cardinalis universali emendationi infudandum censebat, ceterique Legati ejus Socii eodem fervebant desiderio: quapropter hujus rei negotium Seripando committebant, eidemque adhuc in laboris socios adjungebant varios Episcopos morum integritate celeberrimos, atque Ecclesiam pristino suo splendori restituendi studio plurimum accensos, iique erant, Mutius Callinus Archiepiscopus Jadrensis e ditione Veneta; Julius Panesius Dominicanus Archiepiscopus Surrentinus in Neapolis Regno, Ludovicus Beccatellus Archiepiscopus Ragusinus, Ægidius Fuscararius Episcopus Mutinensis, & Hieronymus Galeratus Mediolanensis, Episcopus Sutrinus, ex Moroni Cardinalis Sorore genitus: Cardinalis vero Simonetta utpote Canonicæ jurisprudentiæ peritissimus hujus rei argumenta in ordinem redigere jubebatur, eique adjuncti fuere Castanea, Boncompagnus, Paleottus, & Joannes Baptista Castallus Synodi Promotor.

Sæcul XVI.
A.C.1562.